



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LIX. D. Veomadvs. XXXIII. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

equidem mirè servatum, temporum tamen injuriâ nonnihil corruptum, ut à D. Hildolpho amplius exornaretur. Annis 10. inter publica negotia consumptis, depositâ mitrâ cum Spinolo, Joanne & Benigno Monachis Maximianis Vogesi montis eremum, collacrymantibus ferè bonis omnibus, petiit Hildolphus, ubi rerum cœlestium contemplationi, & virtutum selectissimarum exercitio intenti, partim adventantem populum in sui admirationem, partim multos ad imitationem pertraxerunt.

LIX. D. VEOMADVS. XXXIII. ARCH.

D. Veomadus à D. Hildolpho subrogatus eò magis placuit, quòd Hildolphus contra communes omnium preces & querelas constantissimum sese exhiberet in deligenda eremo, atque in successorem designando Veomadum, quo neminem in eo rerum statu digniorem palàm dicebat. Fuit Veomadus Mediolacensis monasterii Abbas laudatissimus, & jurium Ecclesiasticorum assertor constantissimus; quod expertus est Asfuerus, Prumiensis monasterii Abbas, de dominio Cellæ D. Goaris dictæ, litem sustinens. Quantus Ecclesiæ defensor, tantus Ss. Reliquiarum propugnator & promotor: D. Castoris enim Ossa decentiori loco collocavit, populo Cleroque Cardonam usque Archiepiscopum comitante, ac tridui abstinentiâ præviâ Numen propitium sibi reddente. Divorum curam tam sedulam dum gessit, sui curam majorem geri à Divis expertus, à D. Castore ter spectabili factò, è mortalium numero est evocatus an. 781. Sed. 13.

LX. RICHBODVS. XXXIV. ARCH.

Richbodus ex Abbate Mediolacensi creatus Archiepiscopus Trevirensis, vix aliam, quàm nominis sui, nobis reliquit memoriam, aut veriùs alii reliquerunt, gestorum publicorum parùm seduli observatores. Annis 10. sedisse creditur, mort. an. 791.